



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio tertia. Vtrum in Deo sit aliqua subsistentia absoluta, & essentialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Vna essentia pronenit: huiusmodi est nomen actus puri, & similia: & ideo neganda simpliciter sunt illæ sequelæ. Quando autem nomen non dicitur ex infinitatem simpliciter in genere entis, & alioqui est transcendens, vel habet vim transcendentis, tunc multiplicari potest ratione trium relationum: huiusmodi autem est nomen existentie, & similia; quamuis etiam in his, quia potest esse ambiguitas, optimum sit distinguere, vel cum determinatione loqui, ut dictum est.

Obiectio. Tertia difficultas sit, quia existentia absoluta est simpliciter infinita, & perfectissima, ergo per illam quilibet persona, & quicquid in personis est, sufficientissime existit, sicut, si in Deo tantum esset vna persona absoluta, tantum intelligeretur habere vnum esse simplicissimum secundum rationem per quod tam natura, quam personalitas eius existeret, ergo etiam nunc non oportet distinguere etiam ratione, esse nature diuinæ ab esse relationis, quæ est personalitas eius. Et confirmatur primo, quia esse absolutum in se & essentialiter includitur in relatione, ut relatio est: ergo per illud sufficienter existit, etiam quatenus relatio est: ergo non est necessaria alia existentia ratione distincta: imo nec videtur intelligibilis, quia, ut res existat, satis est vnica existentia, quæ rem totam quasi penetrat & actuat. Secundo confirmatur, nam illud esse absolutum est completum, & substantiale, ergo si aliquid esse intelligitur illi addi, etiam secundum rationem, adderetur accidentaliter.

Responsio. Respondetur breuiter, eandem rationem, ut sepe dictum est, esse de existentia, quæ de entitate actuali, sicut ergo diuinitas ut præcisa à relationibus, est res infinita simpliciter, & nihilominus secundum hunc præcise conceptum non est formaliter relatiua, neque essentialiter, sed tantum absoluta, quia relatiua perfectio formaliter non pertinet ad infinitatem eius simpliciter, quamuis in ea eminenter contineatur, ita ipsum esse essentialiter est quidem infinitum, sed ut sic tantum formaliter absolutum, & ideo, quamuis per illud, ut sic perfectissime existat natura absoluta, non tamen relatio, ut relatio est, & ideo oportet, ut relatio secundum rationem addat aliquid esse, quo formaliter in esse entitatis actualis relatiua constituitur. Quapropter non est simile quod ad hoc, si in Deo tantum esset vna persona, quia illa esset absoluta, & ideo tota entitas eius, & totum esse eius, essent absoluta.

Ad primam confirmationem respondetur, existentiam non esse actum aliquem quasi actuantem rem, & distinctum ab ipsa, præsertim in Deo, sed esse ipsammet entitatem vniuersiusque rei, & ideo existentiam absolutam Dei, licet includatur in relatione, formaliter, & secundum præcisionem rationis non actuare relationem in esse relationis; ita enim in illa includitur, ut relatio aliquid addere intelligatur, quod propriam habeat actualitatem, & secundum eam, propriam etiam existentiam.

Ad secundam confirmationem respondetur primum, esse essentialiter esse completum, & perfectum, quantum esse potest esse alicuius nature, non vero per se ipsum præcise sumptum ultimo terminatum ad esse personæ, & ideo esse relationis non aduenire accidentaliter, sed personaliter, ad constituendam scilicet personam. Deinde quanquam intelligeretur persona iam completa, tamen quia in re est omnino idem esse relationis cum esse absoluto, hoc satis est, ut non sit esse accidentale, sicut videre est in spiratione actiua, quæ intelligitur aduenire Patri, & Filio iam personaliter constitutis, & non est accidens propter simplicitatem, & indistinctionem.

Obiectio. Vltima difficultas, sumi potest ex relationibus creatis, in quibus existentia relationis non videtur esse respectiua, sed absoluta, quia est ipsum inesse

relationis, quod dicitur ordinem ad subiectum, & non ad terminum, relatio autem ut relatio respicit terminum, & non subiectum, quia non potest bis referri, seu duo simul respicere, scilicet fundamentum, & terminum, ut Caiet. loco supra citato ex prima parte contra Scotum obicit. Vel potest aliter explicari, quia relatio secundum suam naturam respicit terminum, ergo non secundum existentiam, alias bis respiceret.

Sed hæc difficultas solum procedit in sententia distinguente realiter essentiam creatam ab existentia, nostra vero sententia facile ex dictis expeditur, nam existentia relationis nihil aliud est, quam ipsa actualis entitas relationis, unde tam respectiua est, quam ipsa relatio, quæ secundum se totam, & prout relatio est, respicit subiectum, quod suo modo informat, & terminum, ad quem vltimam tendit, seu ad quem refert ipsum subiectum, in quo est, & hoc modo non est inconueniens, ut respiciat duo subordinata, sicut habitus respicit potentiam, quam informat, & obiectum, ad quod illam inclinat. Neque hic respectus est distinctus in essentia, & existentia relationis, quia ipsa essentia, & existentia non sunt nisi vna entitas actualis.

Obiectio. Sed instabit aliquis, quia inhærentia huius relationis creatæ in suo subiecto, vel fundamento tantum est quidam modus vnionis, qui non videtur respectiuius, sed absolutus, ut est inhærentia cuiuscunque accidentis.

Responsio. Respondetur, ipsam relationem non inesse, vel vniri subiecto, seu fundamento tanquam entitatem distinctam, sed tanquam modum, & ideo in illo non distingui modum vnionis ab entitate, vel existentia eius, quæ, si existit, necesse est, ut actualiter inexistat, & vnatur suo fundamento, aut subiecto. Et ideo tota illa unio, seu inexistencia relatiua est, sicut ipsa forma.

SECTIO III.

Utrum in Deo sit aliqua subsistentia absoluta, & essentialis.

Ratio dubitandi esse potest, quia subsistentia est vltimus terminus nature, constitutius personæ, sed in Deo non est vna persona absoluta, ergo neque vna subsistentia. Maior constat ex ipso usu, & significatione ipsius nominis subsistentie, unde apud Græcos idem significatur nomine hypostasis, quod apud nos nomine subsistentie. Et in Conciliis hæc voces, *subsistentia, hypostasis, suppositum & persona*, pro eodem sumuntur loquendo in diuina natura. Ad quod alludens D. Thomas infra in hac quæst. 3. articulo 3. ad primum ait. *Quod est subsistens in diuina natura, consequens esse, ut sit persona, & i. parte quæstio. 29. artic. 2. dicit subsistentiam, & suppositum idem significare, & quæst. 9. de potent. artic. 3. & 5. dicit, ex hoc, quod aliquid est subsistens habere, ut non possit de pluribus prædicari. Et ratione probari potest ex differentia inter existentiam, & subsistentiam, quæ nulla alia esse potest, nisi quod existentia præcise dicit actualitatem essendi, subsistentia vero dicit vltimum terminum existentie, quo res fit omnino incommunicabilis. Denique, si daretur hæc subsistentia absoluta: ergo præcis per intellectum relationibus intelligeretur manere deitas tanquam substantia indiuidua, & singularis habens intellectualem naturam, seu in illa subsistens, esset ergo persona, quia hæc est personæ definitio.*

In hac re, prima sententia negat esse in Deo subsistentiam essentialem, seu absolutam. Hanc tenet A. lexand. Alenf. 3. par. quæst. 2. membr. 3. & q. 7. membr. 1. articulo 3. & idem licet obscure docet in 1. part. quæst.

Alenf.
Bonauent.
Marfil.
Henric.

Bonauent.
Marfil.
Henric.
Ricard.

VI. Synod.

V. Synod.

Scot.
Durand.
Ricard.
Gabriel.
Almain.
Okem.
Capreol.
Palud.
Caietan.
Thom. Ista.
D. Thom.

August.

Agath. Pap.

quæst. 57. membr. 2. & 3. Bonauent. idem sentit. in 3. dist. 1. artic. 1. quæst. 3. & dist. 5. art. 1. quæst. 4. & Marfil. in 3. quæst. 2. artic. 3. dub. 3. ad finem. Henric. quodlibet quinto, quæstione octava, ad finem, licet non sub nomine substantiæ, sed sub nomine suppositi absoluti, & communibus personis quæstionem hanc disputet, idem in 1. part. summæ artic. 56. quæst. 6. Ricard. etiam in 3. distinctione 5. artic. 1. quæstione 2. eandem sententiam supponere videtur, quam etiam indicat in 1. d. 27. artic. 1. qu. 1. ad secundum. Huic opinioni videtur multum favere modus loquendi Conciliorum, ubique enim negant, tres personas esse vnam substantiam, unde in VI. Synod. act. 11. Sabelliana pravitatis dicitur tres personas in vnam colligere, vel confundere substantiam, & idem sumi potest ex V. Synod. collat. 8. can. 1. & ex aliis, quas infra citabimus, quæ ubique definiunt in Deo tres substantias, & consequenter negant vnam. Fundamentalis autem ratio huius sententiæ in principio tacta est, quam inferius, & in sectione sequenti magis urgebimus explicando eius difficultatem, quæ sine dubio magna est.

Contraria sententia est communis aliorum Theologorum, qui sentiunt diuinam naturam, sicut essentialiter ex vi suæ perfectionis absolute existit, ita etiam subsistere, neque emendicare (vtrita dicam) substantiam à personis. Ita tenet expresse Scot. in 3. d. 1. quæst. 2. §. ad quæstionem igitur, & d. 5. q. 1. & in 1. d. 7. q. vnicuique in principio, & in fine, & dist. 26. ad 4. tertiz viæ. Eandem tenet Durand. in 3. distinctione 1. quæst. 2. & Ricard. artic. 1. quæst. 2. ad 1. iuncta quæ. 2. Gabr. quæst. 1. artic. 3. dub. 4. Almain. q. 1. art. 3. dub. vlt. & Okem. in 3. quæst. 1. In eadem sententia conveniunt discipuli D. Thom. cum Capreol. in 3. dist. 1. artic. 3. ad argum. contra 4. conclus. & Paludan. ibi. quæst. 2. in fine illius, & Caietan. supra quæst. 2. art. 2. & in hac. q. 3. art. 3. & 1. part. q. 3. art. 3. & q. 26. artic. 4. Qui pro se citant D. Thom. variis in locis, præcipui sunt, quos citavi sectione præcedenti in principio, quibus addi potest, in omnibus locis, ubi ait Deum esse ipsum esse per essentiam, eodem modo dicere, esse ipsum esse subsistens, ut videre est in locis citatis sectione 1. sentit ergo utrumque esse absolutum, & essentialē, & 1. contra Gentil. cap. 38. 42. & 43. Item 1. part. q. 39. artic. 4. dicit, hoc nomen Deus, supponere pro essentia, nisi ex adiuncto determinetur supponere pro persona, & in hoc ponit differentiam inter hos terminos Deus & homo. nulla autem esset, si diuinitas per se non esset, subsistens, etiam ut abstracta à personis, & quæst. 8. de potent. artic. 3. ad septimum, dicit relationes diuinas habere, quod subsistat ab essentia, & non e contrario, quod evidentiùs repetit quæst. 9. artic. 5. ad 13. est etiam expressus locus in 1. d. 21. q. 2. artic. primo, ubi dicit, naturam diuinam in se esse habentem esse subsistens, etiam præcisam & abstractam à tribus personis, atq; adeo Deum, ut prædicatur de tribus personis, esse quid subsistens, commune illis. Idem docet in 3. d. 6. quæst. 2. art. 2. ad 2. citatur etiam pro hac sententia August. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. ubi dicit: Diuinam naturam ad se subsistere, id est absolute: Nam omnis, inquit, substantia ad seipsam subsistit, quanto magis Deus? omnis autem substantia, præter Deum, substantia absoluta subsistit, sentit ergo August. eodem modo subsistere naturam diuinam. Denique huic sententiæ videtur fanere Agath. Papa in epist. decretali, quæ habetur in VI. Synod. act. 4. & incipit. Piusimis dominis, ubi non longe à principio sic inquit: Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum non tres Deos, sed vnum Deum, non trium nominum substantiam, sed trium substantiam, seu personarum (ut alia litera habet) vnam substantiam, quæ verba quamuis non contineant fidei definitionem, tamen, cum à Pontifice cum toto Concilio scripta sint, magni ponderis esse videntur, præsertim, quia cum à Latinis sint

scripta, videntur in proprietate sermonis Latini scripsisse, atque substantiam proprie, & non tantum pro essentia sumpsisse. Verum est tamen in noua editione Conciliorum facta à Surio non legi vnam substantiam, sed vnam substantiam, quæ lectio improbari non potest, & videtur certe magis veritata: quamuis antiquiora Concilia priori modo habeant.

Ratione probatur hæc sententia à Caietan. quia tres personæ sunt vnus Deus, ergo hic Deus, ergo datur hic Deus communis tribus personis, sed hic Deus dicit hanc deitatem subsistentem, ergo datur etiam substantia communis tribus personis. Et confirmatur primo, quia hæc Deitas est quid absolutum commune tribus personis, ergo & hic Deus, nam in Deo propter summam simplicitatem idem est, quo est, & quod est. Confirmatur secundo, quia in Deo absoluta sunt priora relictis, ut sæpe D. Tho. docet, præsertim, 4. part. q. 33. a. 3. ad 1. sed hic Deus est quid absolutum, ergo est prius relationibus, atque adeo per se subsistit, & non tantum formaliter per solas relationes. Sed hæc rationes non sunt efficaces, ut patet ex dicendis in fine dubij.

Ut ergo explicemus veritatem, & aperiamus, in quo possit esse dissensio in re, supponamus, quid nomine substantiæ significetur, potest enim hoc nomen sumi vel ut concretum, vel ut abstractum, priori modo significat id, quod per se existit, posteriori vero modo significat illud formale modum à quo res habet, ut per se subsistat, qui potest dici ratio per se existendi. Rursus substantia priori modo significare potest vel simpliciter, & absolute id, quod per se subsistit, vel specialiter id, quod incommunicabiliter, & quasi vltimate subsistit, in qua vltima significatione communiter sumitur in Conciliis, & significatur nomine *hypostasis*, quæ est quasi fundamentum, quod subest ipsi naturæ, & omnibus communibus prædicatis, ut constat ex supra notatis. qu. 2. artic. 5. & ex Basilio epist. 43. & Greg. Nyssor. de differentiæ, & hypostases. Et sic etiam proportionaliter distingui potest substantia sumpta in abstracto, potest enim significare rationem per se essendi simpliciter, vel rationem incommunicabiliter subsistendi.

Rursus, quoniam suppositum includit hæc tria, *Quæ quæstio includit ipsi possum.* primo, existere, est enim aliquod ens actu, & in re, natura existens: secundo, per se existere, est enim id, quod est tertio, incommunicabiliter existere per se, nam in hoc completur ratio suppositi, seu personæ si sit in natura intellectuali. In creaturis, ut supra disput. 8. sect. 3. retigit, magna est opinio varietas in explicando, quomodo hæc tria tam inter se, quam in ordine ad naturam & suppositum comparentur, de quibus hic agere non possumus, quia ad Metaphysicum institutum spectant. Nunc ergo suppono primo, naturam, etiam in rebus creatis, non habere suum proprium existere à substantia, nec formalliter, ut Capreol. & alij volunt, neque peritundinaliter, ut Caietan. & alij, sed per suam propriam entitatem actualem habere ipsum existere naturæ, ut natura est, quod in prædicta disput. 8. est tactum, & infra. qu. 17. latius tractabitur disputando de existentia humanitatis Christi. Ac denique, quidquid sit de creaturis, quod ad præsens attinet, in diuinæ naturæ hoc mihi est certissimum ut ex sectione primâ constat.

Deinde præmitto, illam incommunicabilitatem, quam suppositum includit, neque in Deo, neque in creaturis provenire formaliter ab ipsa natura aut ab existentia eius, neque esse solum negationem, sed provenire formaliter ab aliqua ratione positiua, quæ vel secundum rem, vel secundum modum nostrum concipiendi intelligitur addi naturæ, ut natura est, etiam actu existens. Quod, licet in rebus creatis

is sit tantum probabilis, in diuinis tamen videtur esse certissimum: quia diuina natura, vt præcisa à personis, licet essentialiter sit existens, nõ tamen est incommunicabilis omnino, prout ad rationem suppositi necessarium est, vt constat ex fide, alias tres personæ essent vnum suppositum: imo præter illud suppositum, non possent in Deo esse plura supposita quibus illud communicabilitatem. Et aliunde etiam suppositi incommunicabilitatem. Et aliunde etiam est certum, proprias rationes, quas habent diuinæ personæ, in quibus inter se non communicant, sed distinguuntur, positiuas esse & reales, alias nõ essent in Deo tria positiua realiter distincta, quod est contra fidem. Imo intelligi non possit in quo esset illa incommunicabilitas: si non esset in aliqua re positiua, quæ incommunicabilis denominetur, & sit.

Multiplex communicatio in modis & personis sit incommunicabilis.
Sed ad intelligendum melius hanc incommunicabilitatem obseruandum est multiplicem esse communicationem, cui potest incommunicabilitas opponi. Quædam est communicatio superioris ad inferiora secundum abstractionem rationis, quæ dici potest communicatio rationis, quia res, quæ sic communicari dicitur, non est vere in re vna, nec distincta ex natura rei ab inferioribus: vnde incommunicabilitas, quæ huic communicationi opponitur, non refert ad proprium, nam generalis est tam supposito quam naturæ in singulari, & in indiuiduo, prout nunc loquimur. Alia est ergo communicatio realis, quæ vna res singularis communicat se ipsam alicui, vel aliquibus. Hæc autem communicatio duplex intelligi potest, vna per identitatem perfectam, & quasi intimam inclusionem (vt sic dicam) eius rei quæ communicatur, in illa cui communicatur. Alia sine identitate, quæ necessario esse debet media aliqua reali vnione. Prior modus communicationis reperitur in sola diuina natura, attributis eius, & inspiratione actiua: non autem in re creata, neque etiam in diuina persona vt persona est. Primum est certum de fide, & ratio eius nulla alia à nobis reddi potest, nisi quia hoc pertinet ad infinitatem diuinæ naturæ & ad summam simplicitatem eius ac diuinarum personarum. Tertium etiam de fide est, vt de se constat, ratio autem sumitur ex oppositione relationis vel originis diuinarum personarum vt ex materia de Trinitate suppono. Hinc vero obiter intelligitur, hanc saltem incommunicabilitatem esse necessariam ad rationem personæ respectu rerum distinctarum, id est, vt non possit hoc modo multis communicari per identitatem: imo, si hoc habeat, & alioqui sit res subsistens, integra & completa, erit necessario suppositum, quamuis absolute illa incommunicabilitas non sufficiat, nam quælibet entitas creata illam habet, vt in secundo membro dicebam. Quod etiam est certissimum, & ratio eius est limitatio entitatis finitæ & creatæ, quæ non potest vna vere ac realiter existens cum multis realiter distinctis, & cum singulis realiter identificari absque vlla distinctione actuali, quam in re ipsa cum illis habeat: si autem vni rei tantum hoc modo identificaretur, illa nõ esset propria communicatio, sed ad æquata identitas.

Posterior autem communicationis modus, cum sit per vnionem realem vnius rei ad aliam vel ad modum ex natura rei distinctum, attribui potest rebus omnibus, quæ cum alijs vniri possunt: sic enim materia dicitur communicari formæ, & forma materiæ, & vtrique composito, & in vniuersum pars dici potest communicari comparti & toti. Sumendo autem communicabilitatem, vt excludit communicationem in tota hac amplitudine, non est de ratione suppositi seu rei subsistentis vt sic: nam res subsistens communicari potest alteri, vt forma materiæ, retento suo subsistendi modo, si ita informet vt non inhereat, nec in suo esse pendeat à subiecto, vt de anima rationali, probabilis est; & similiter potest res subsistens communicari alteri vt subiectum for-

Fr. Suarez, Tom. I.

ma vt est etiam probabilis de materia prima: id est, quæ suo modo in partibus substantialibus integrantibus totum videre licet. Denique hoc modo, sicut natura communicatur personæ, ita persona potest communicari naturæ, vt in mysterio incarnationis persona Verbi communicata est humanitati, & personalitas creata sese communicat, & iuxta probabilem opinionem posset etiam communicari pluribus de potentia absoluta. Igitur incommunicabilitas personæ præter negationem communicationis per identitatem respectu rerum distinctarum, solum excludit communicationem ad alterum, vt ad vltimum terminum existentie, qui terminus in rebus creatis censetur necessarius ad complementum existentie, propter quod in eis dici solet hæc incommunicabilitas esse ad alterum vt ad sustentatem, quia hic terminus complere solet id quod proprie ac per se existit, tanquam id quod simpliciter esse & operari dicitur: & hoc est quod per talem terminum redditur incommunicabile prædicto modo, scilicet ipsum suppositum quod in rebus creatis est compositum ex natura, & modo illo seu termino existentie, & in Deo proportionali modo secundum constitutionem simplicem seu rationis sine compositione. Natura autem, quæ est in supposito non fit ipsa incommunicabilis per talem modum seu terminum existentie, vel saltem hoc non est de ratione suppositualitatis vt sic: an vero id conueniat suppositualitati creatæ ex limitatione sua, infra tractabitur. Et hæc nunc sufficiant de incommunicabilitate ad rationem personæ vel suppositi necessaria, quæ ad intelligenda omnia quæ dicemus, diligenter annotanda sunt.

Tertio suppono, in rebus creatis per se existere, vel (vt clarius id exprimam) perseuerantem existendi non conuenire naturæ formaliter per se ipsam, seu per existentiam suam, sed per aliquid reale, & in re ipsa ab illa & ab eius existentia distinctum, siue illud sit entitas omnino realiter distincta à natura, & ab existentia eius, siue tantum sit modus ex natura rei distinctus. Et hoc satis nobis manifestauit mysterium incarnationis, in quo reperitur humanitas in rerum natura absque propria perseuerantia existendi, quam ex se habeat, sed solum est in Verbo à quo sustentatur, & quasi subsistit. Hinc enim recte colligimus, in propria hypostasi creata, id quod est ratio per se essendi, esse aliud ab entitate actuali ipsius naturæ, & per id non proprie naturam ipsam seu humanitatem per se esse, sed compositum ex illa & ratione per se essendi, quæ est personalitas seu suppositualitas, vt statim dicam. Ne vero in termini ambiguitate decipiamur, oportet aduertere illud per se, seu perseuerantiam essendi, hic non sumi vt distinguitur contra esse in alio, vt in subiecto sustentante: hæc enim significatione esse per se omni natura substantiali præsertim completa, essentialiter conuenit, & significat potius aptitudinem subsistendi, quam actualem modum per se essendi, qualem declarauimus, quo modo etiam humanitas Christi, prius natura, quam assumatur à Verbo considerata, potest dici per se existens, quia hoc per se nihil addit supra existentiam substantialem, sed est quasi differentia: sumitur ergo hic per se, vt dicit complementum quoddam existentie substantialis, seu modum existendi, quo constituitur id quod proprie est in se sine adhesionem ad aliud vt ad sustentans, & terminans existentiam naturæ, quod recte à nobis explicatur per negationem vnionis in hypostasi seu ad hypostasim: per hanc enim perseuerantem redditur natura incapax talis vnionis, quatenus sic terminata est, ad hoc vt ipsemet terminus ulterius terminetur, seu alteri termino vnatur: hoc enim directe repugnat rationi termini, & huic perseueranti essendi. Hanc ergo perseuerantem dicimus conuenire substantijs creatis non per se ipsas, nec per suas existentias seu actuales entitates, sed per

Ad modum

modum posituum essendi ex natura rei ab eis distinctum.

Quarto suppono, in rebus creatis per eundem omnino terminum seu modum posituum substantialis naturæ constitui rem per se existentem, & omnino incommunicabilem, & consequenter personam vel suppositum. Itaque illa ratio per se essendi est etiam ratio incommunicabiliter existendi, nec in re hæc distinguuntur in tali modo seu termino, etiam si ratione à nobis præscindatur. Ratio autem est, quia ille terminus, ut est ratio per se essendi, confert incommunicabilitatem ad alterum ut hypostasim, seu terminum hypostaticæ, vniionis, & quoniam aliàs terminus ille creatus esse supponitur & finitus, est etiam intrinsece incommunicabilis aliquibus per identitatem cum illis, & ita habet omnem incommunicabilitatem, quæ ad rationem suppositi necessaria est, & ideo in rebus creatis ille terminus naturæ, qui constituit rem subsistentem, seu per se existentem, constituit etiam suppositum vel personam, estque substantia & supposita- litas seu personalitas.

Ex his ergo omnibus clare & sine vocum equiuocatione perspicui potest, in quo sit punctus præsentis controuersie. Nam in primis constat ex dictis scd. naturam naturæ diuinæ propriam & essentialiter essentialiter absolutam, quæ in ea manere cõcipitur, etiam si ab ea mente præscindamus omnes relationes. Quo fit, ut, licet intelligamus relationes aduenire essentialiter diuinæ, & cum ea aliquid vnum constitueret, scilicet personam vel quoddam relatiuum, nõquam tamen intelligendum est illam relationem aduenire essentialiter, ut rationem existendi, seu tanquam id, per quod formaliter existit, nam in omni re hoc tantum vnum est, & esse potest, sed intelligitur solum aduenire talis relatio ut constituens personam, & consequenter ut completens existentiam personæ in sua ratione, scilicet tanquam ultimi termini, & quasi forme eius. Secundo, constat ex fide non dari in natura, seu existentia diuinæ essentialiter aliquam rationem posituam absolutam & essentialiter, quæ reddat illam omnino incommunicabilem, quia nihil est in Deo absolutum & essentialiter, quod per summam identitatem non sit communicabile tribus personis. Et ideo dixi, omnino incommunicabilem, quia natura diuinæ ex vi suæ essentialis perfectionis, est quidem incommunicabilis rei à se distinctæ, per aliquam vniionem hypostaticam, quæ ipsa ut natura vniatur alteri tanquam termino suæ existentie, idem planè repugnat cum perfectione essentiali talis naturæ: non tamen est illa natura ex vi suæ existentie, vel aliter modis sui absoluti incommunicabilis per identitatem multis rebus inter se distinctis, nam in hoc mysterium Trinitatis consistit. Quocirca, si per substantiam absolutam, intelligamus rationem per se essendi omnino incommunicabiliter, certissimè est, non esse in Deo talem absolutam substantiam. Sicut etiam est certum non dari in Deo vnam substantiam absolutam, prout significat in concreto id, quod incommunicabiliter subsistit, & hoc probant Concilia citata pro priori sententia, quia tres personæ nec sunt vna persona, nec vnum suppositum, & quia in diuinis nihil absolutum est incommunicabile, & ad hoc etiam valent, quæ supra Henri. citato quodlib. adducit, & Durand. in 1. d. 26. q. 1.

Controuersia ergo nunc superest de re quidem, an sit in Deo substantia absoluta in alio sensu, siue in concreto, siue in abstracto sumatur, id est, an sit aliqua ratio, & perfectio absoluta, quæ constituitur aliquid, ut in se, & per se existens, licet non incommunicabiliter, de modo autem loquendi erit quæstio, si datur hæc per se existentia, an sit illa dicenda substantia, necne. Est itaque proprius quæstionis sensus, an existentia diuinæ naturæ habeat perfectiorem essendi à solis proprietatibus relationis, vel ex sei-

psa, & per suam rationem absolutam. Et consequenter an diuina natura non solum ut existens, sed etiam ut per se existens sit communicabilis multis, an vero hoc ipso quod concipitur ut per se existens, seu esse id quod est, intelligatur etiam incommunicabilis, & persona.

Dico primo existentia diuina absoluta & essentialis, ex vi suæ absolutæ perfectionis præcise sumpta, est non tantum ratio existendi, sed etiam existendi in se, & per se, ita ut diuinitas, ut per illam existit modo perfectio, intelligatur per se existere, & nõ indigere aliquo sustentante, neque aliquo alio modo, re aut ratione distincto, ut in se, ac per se existat. Denique in hoc sensu ipsum esse diuinum absolutum & essentialiter ex vi suæ præcise perfectionis absolutæ, est esse per se, & essentialiter subsistens, & non solum est, quo aliquid existit, sed etiam quod existit. In sensu huius conclusionis existimo secundam sententiam omnino veram, quam primum ita declaro. In humanitate Christi (iuxta probabilem sententiam) fuit existentia creata, imperfecta tamen, & separata à proprio modo per se existendi, quia existentia naturæ creatæ non includit modum illum in suo conceptu formali, & essentiali, & illo ablato manet imperfecta, & quasi in potentia, ut per modum potius existentie, quam per se existentie afficiatur, seu terminetur, quamuis ergo existentia absoluta diuinitatis, non possit re ipsa separari à suis personalitatibus, quia ex natura rei non est ab illis distincta, sicut existentia naturæ creatæ distinguitur à sua personalitate: tamen etiam quatenus ratione potest præscindi à suis personalitatibus, non est concipienda eo modo imperfecto, quo concipitur existentia naturæ creatæ, ut sic, hoc enim videtur aperte repugnare infinitæ perfectioni simpliciter ipsius esse per essentialiter. Et hoc esse debet fundamentum huius conclusionis. Quod breuiter ita concluditur: illud esse ut sic conceptum, est simpliciter, & in genere entis infinite perfectum, ergo includit in suo formali, & essentiali conceptu non solum existere, sed etiam modum in se, & per se existendi. Antecedens probatur, quia ex vi illius esse habet tota Trinitas, & quilibet persona illius, ut sit ens simpliciter, ac infinite perfectum in tota latitudine entis, nam relationes, ut sic, non addunt perfectionem, quæ formaliter pertineat ad infinitatem simpliciter. Vnde nihil valet responso dicentium esse diuinum sic conceptum, esse infinitum in ratione cuiusdam naturæ infinite, non tamen simpliciter in ratione substantiæ, vel entis completi, quia vel illa infinitas in ratione naturæ est infinitas simpliciter in tota latitudine, & perfectione entis, vel tantum secundum quid. Hoc secundum est contra infinitatem Dei: nam ex illo infinito secundum quid, & relatione non hieret infinitum simpliciter, quia relatio vel non addit perfectionem (ut aliqui volunt) vel non perfectionem simpliciter, neque ex proprio conceptu infinitam, nisi in genere relationis, & ita nulla persona esset simpliciter infinita, vel illa infinitas est infinita simpliciter in tota latitudine, & perfectione entis, & ita non solum est infinitas naturæ, ut sic, sed etiam substantiæ, ut sic, & entis ut sic, & omnis alterius prædicati similis, quod ex vi sui conceptus dicat perfectionem simpliciter.

Probatur vero prima consequentia. Primo, quia ens simpliciter infinitum non potest concipi, ut essentialiter quid incompletum, & tanquam, quo aliquid est, & non tanquam, quod est, & idem est de substantia infinite perfecta in ratione substantiæ: vnde Concilia, quæ definiunt tres personas esse vnam perfectam, & infinitam substantiam, videntur mihi, docere sufficienter hanc veritatem, quomodo enim erit substantia simpliciter infinita in genere substantiæ, si non est con pleta substantia?

illæ

In Deo non
est substantia
absoluta
incommunicabilis.

illa autem una substantia, quæ sunt Pater, & Filius & Spiritus sanctus, omnino absoluta est. Secundo, quia si illud esse per essentiam ex se est infinitum ens simpliciter, ergo est Deus, & non tantum deitas, ergo est in se & per se existens, de natura enim abstracta, nisi intelligatur per se existens, non potest concretum predicari: hæc enim ratione humanitas non est homo. Tertio, quia non videtur posse negari, quin ille modus in se, & per se existenti sit perfectio simpliciter simplex, & consequenter debere formaliter includi in conceptu essentiali entis simpliciter infiniti, quia formaliter pertinet ad complementum entis & substantiæ, nam sine illo non intelligitur esse substantia completa, nec quod est, sed tantum quo aliquid est, ut patet in Christi humanitate. Et confirmatur, quia perfectio simpliciter dicitur, quæ in quolibet ente, ut sic melior est ipsa, quam quælibet illi incompossibilis, huiusmodi autem est hic modus, seu potius (ut ita dicam) hoc complementum ipsius esse, scilicet in se, ac per se esse.

Modus per se existendi per se simpliciter in Deo.

Obiicitur.

Respondetur.

Obiicitur.

Respondetur.

Obiicitur.

Respondetur.

Dici potest, hanc perfectionem repugnare cum alia maiori perfectione diuinæ naturæ, quæ est esse communicabilem tribus personis. Sed hæc euasio tangit fundamentum contrariæ sententiæ, quod infra soluemus ostendendo hæc duo non sibi repugnare. Unde retorquetur argumentum, nam ex dictis saltem conuincimus, si perfectus hic modus per se essendi essentialiter non repugnat cum communicabilitate diuinæ naturæ, non esse illi negandum, ostendimus autem hæc duo non repugnare inter se, ergo. Quin potius addo, si formaliter ac præcise concipiatur hæc duo, per se esse tanquam ipsum esse per essentiam infinite perfectum, & completum, & esse communicabilem tribus, magis illud pertinere ad infinitatem simpliciter, quam hoc secundum. Et illud esse veluti quiddam prius, hoc vero esse veluti consequens infinitatem simpliciter, non est ergo verisimile hæc duo inter se pugnare.

Dicunt aliqui, non pertinere ad perfectionem, & infinitatem simpliciter, ut in formali, & essentiali conceptu ipsius esse includatur hic modus, sed satis esse, ut ipsum esse sit tam perfectum, ut secum afferat personalitates, quæ in re ab ipso non distinguantur, per quas formaliter habeat hunc modum per se essendi. Hoc vero non satisfacit, quia perfectio simpliciter non tantum identice, sed omnino essentialiter est de ratione entis infinite simpliciter, ut nunc ex i. p. suppono, & ex dictis patere potest, & ita explicatur in proposito, quia si diuinitas cum suo esse per essentiam ex vi illius non intelligitur sufficiens ad existendum in se, & per se, ergo non intelligitur ut actus omnino perfectus, sed quasi in potentia, & indigens ad suum complementum ulteriori actui: quomodo ergo, ut sic concipi potest tanquam infinite perfecta? pertinet ergo ad perfectionem ipsius esse per essentiam, ut per se, & ex vi sua perfectissimum modo sit, quia est abstractissimum & purissimum, abstrahens ab omnipotentialitate. Quod confirmatur secundo, quia si intelligeremus in Deo unam tantum personam absolutam, intelligeremus ipsum esse per essentiam cum tota hac actualitate, sed nunc non debet concipi minus perfectum essentialiter.

Aliter vitari posset vis harum rationum, concedendo, hunc modum per se essendi esse essentiali conceptu Dei, nihilominus tamen non conuenire illi nisi per relationes, quatenus continentur in ratione communi substantiæ, vel quatenus eadem perfectio, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filio. Sed hoc stare non potest, quia (ut suppono ex i. p.) licet relationes non distinguantur ab essentia, non tamen sunt de essentiali conceptu eius: præcisè ergo relationibus, & quicquid per eas intelligitur formaliter conferri, intelligitur manere tota perfectio

Fr. Suarez Tom. I.

essentialis Dei, ergo si in illa perfectione includitur hic modus, non conferetur formaliter per relationes. Deinde quia quicquid est essentialiter in Deo, est idem numero in omnibus personis, alias non esset tota essentia Dei eadem numero in omnibus personis, id autem, quod conferetur formaliter per relationem, non est idem numero formaliter in omnibus personis, sicut nec ipsa relatio, unde sicut ratio personæ, ut sic, non est eadem numero in omnibus personis: sed tantum per rationem communem nostræ modo concipiendi, ita ille modus per se essendi, si tantum per relationes ipsas formaliter conferretur, non esset idem numero in omnibus personis, atque ita non esset essentialis.

Quod vero quidam distinguunt inter substantiam, & perfectionem substantiæ, ut dicant, satis esse perfectionem substantiæ esse eandem numero in omnibus personis, licet non sit eadem numero substantia: hoc (inquam) intelligi non potest in perfectionibus simpliciter, quæ formaliter esse debent eadem numero in omnibus personis, sicut enim non est aliud perfectio sapientiæ, quam ipsa sapientia formalis, & idem de iustitia, & similibus, ita non est aliud perfectio substantiæ, seu per se existentis (de hac enim nunc loquimur) quam ipse formalis modus per se existendi: cum præterea, quia perfectio, quam formaliter confert relatio, ut sic, non est eadem numero formaliter in omnibus personis, quia est perfectio relatiua, ut ex i. part. constat: necesse est ergo, si perfectio hæc essentialis per se essendi est eadem numero communis tribus personis, ut sit absoluta, & consequenter, ut conueniat Deo ex vi essentialis conceptus ipsius esse per essentiam.

Sed dicit tandem aliquis, his rationibus probaretur, si essent efficaces, diuinitatem ut sic, debere esse & constitui personam ex vi sui esse absoluti & essentialis, proportionaliter enim possunt applicari omnia dicta. Respondetur tamen negando sequentiam, quia persona dicit modum per se essendi, & quoad hoc pertinet ad complementum entis, & substantiæ & ad perfectionem simpliciter, quia esse in se & per se, est quasi esse independens omnino, & sibi sufficiens ad existendum, & sic procedunt omnia dicta. Sed dicit ulterius persona, ut ille modus incommunicabilis sit, & hoc nec pertinet ad perfectionem simpliciter, nec ad complementum substantiæ, sed in personis creatis hoc prouenit ex limitatione, in diuinis vero ex oppositione relatiua, & ideo quoad hoc non procedunt rationes factæ.

Dico secundo. Existencia absoluta, & essentialis, quatenus est ratio per se existendi, potest conuenire ter dici substantia, & Deitas, ut sic per se existens, potest dici subsistens. Hæc conclusio, cum solū pertineat ad modum loquendi, inde sufficienter probatur, quod omnes Theologi fere ita loquuntur, & qui admittunt rem ipsam, non aliis vocibus illam explicat, & ex vi ipsius vocis declaratur, ut enim D. Thom. dixit. i. p. quæst. 29. art. 2. Res dicitur subsistere ex eo quod per se existit. Ergo ex vi huius impositionis incommunicabilitas omnimoda non est de ratione substantiæ, potest ergo hoc nomen tribui existentia per se, etiam si communicabilis sit. Et hoc sensu dixit D. Thom. quæst. 9. de potent. artic. 5. ad 13. Diuinam essentiam esse secundum se subsistentem, qui modus loquendi etiam apud antiquos patres reperitur, Hilari. enim 7. de Trinitate. fere in ultimis verbis, de Patre, & Filio loquens, inquit, Natura virtute uterque in se est, & neuer sine altero est, & infra, Non est corporaliū naturarum ista conditio, ut insint sibi inuicem, & substantia natura habeant perfectam unitatem, & intra, inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, sed ita esse, ac subsistere, ut in subsistente insit, ita vero inesse, ut & ipsa subsistat. Hieronymus dicta epistol. 57. ad Hieronymum. Damascum, una est Dei, inquit, & sola natura, quæ vere est, idem enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est,

Obiicitur. Diuinitas quomodo est vi sua absoluta substantia, non sit persona.

Existencia absoluta in Deo est vera substantia.

Hilari.

Hieronymus.

Ad 2

ubi

vbi quod prius dixerat, *vere esse*, postea vocat *subsistere* A
& inde postea cõcludit in solum Deum essentia nomen
vere conuenire, aperte ergo sentit essentiam
illam, sicut essentialiter est, ita essentialiter subsiste-
re. Vnde infra subdit, *quia illa sola natura est perfecta*,
& in tribus personis Deitas vna subsistit, quæ *vere est*, &c.
Augustini verba satis sunt expressa citato loco de
Trinit. dum inquit, *Hoc est Deo esse, quod subsistere, sicut*
hoc est Deo esse, quod *apere*. Fauet etiam Dionys. c. 1. de
diu. nomin. versus finem, dum ait, *Bonitatis subsisten-*
tiam, ipso esse suo, esse omnium subsistentium causam, & in-
fra significat diuinam bonitatem hoc ipso quod est,
subsistere. Et Greg. Nyss. in enarratione vitæ Moy-
sis fol. 6. circa finem, vbi prius inquit, *Deum esse, quod vere*
est, & quod natura sua est, & infra hoc declarans inquit
Preter supremam essentiam, nihil *vere subsistere*, quia per
se, & per naturam suam nihil aliud subsistit. Neque alia
locutiones adductæ inter referendam primam sen-
tentiam, sunt huic conclusioni contrariæ, quia non
loquuntur de subsistentia, prout nos loquimur, sed
loquuntur de hypostasi, quæ vox vt expresse docet
Basil. epist. 43. quæ est eadem cum oratione Gregor.
Nyss. de differentia essentia & hypostaseos, & Damas.
lib. 3. de fide. c. 4. imposita est ad significandam per-
sonam, prout constitutam per proprietatem, qua ab
alia discernitur, & hoc modo includit in suo concep-
tu incommunicabilitatem. Vnde quando Latinus
interpres pro hypostasi vertit subsistentiam, sumpsit
vocem in hac eadem significatione, loco cuius in-
terdum ponit vocem personæ interdum vero reti-
net nomen hypostasis, vt videre est in citato loco ex
6. Synod. act. 11. & in omnibus similibus.

Ad rationem vero dubitandi in principio posi-
tam facilis est solutio ex dictis; primo enim negatur,
incommunicabilitatem esse de intrinseca ratione
subsistentia, aut esse veluti effectum formalem eius
proprium, sed solum esse rationem per se essendi, &
completing substantiam in suo existendi modo: Et
quamuis in creaturis ex hoc modo existendi sequa-
tur omnimoda incommunicabilitas ob limitatione-
nem earum, non est necesse, eam sequi ex ratione
subsistendi vt sic, sed ex tali modo & ratione subsi-
stendi. Addo secundo, vt hoc magis explicetur, ad
omnem perfectitatem essendi sequi aliquam incom-
municabilitatem, sed non semper eandem aut om-
nimodam. Diuina enim natura ex suo modo es-
sendi per se, quem subsistentiam absolutam appel-
lamus, habet vt nulli alteri personæ a se distinctæ
realiter seu actualiter in re ipsa possit communi-
cari per modum compositionis, aut hypostaticæ
vniõis, & ita potest simpliciter dici incommunica-
bilis alteri, & in hoc conuenit cum qualibet per-
sona, tamen non habet ex vi illius modi quod sit
incommunicabilis per identitatem, quod non est
proprie communicari alteri, sed multis cum quibus
est idem, & in hoc differt a persona vt sic, nec talis
communicatio necessario excluditur per substan-
tiam vt sic, quod sectionibus sequentibus latius di-
clarabitur.

SECTIO III.

An sint in Deo tres subsistentia relatiue.

Hoc dubium maxime pertinet ad explicandum
Incarnationis mysterium, & propter illud fere
cetera tractata sunt. Multi ergo ex Theologis negat
esse in Deo subsistentias relatiuas, sed vnam tantum
absolutam: quamuis enim fateantur tres personas,
ac tria supposita, per relationes constituta, & distin-
cta, negant tamen habere, quod subsistant, a relatio-
nibus, sed ab essentia. Cum enim de ratione suppositi
duo sint, scilicet, esse subsistens, & incommunica-
bile, primum dicunt conuenire ratione essentia, se-
cundum rationem relationis, ita vt, licet ipsa relatio

diuina substantialis, & subsistens, tamen hoc ipsum
habet ex essentia quam includit, ex se vero solum re-
ferri. Hanc sententiam sic explicat tenet Duran. in 1. d. Duran.
13. q. 2. d. 23. q. 1. & in 3. d. 1. q. 2. Marli. in 1. q. 29. ar. 1. d. Marli.
1. q. 30. ar. 4. Ferr. 4. cont. gent. c. 26. Capr. & Palu. su-
pra citati, & Capr. in 1. dist. 26. q. 1. art. 1. conclus. 3. & Scot.
art. 3. defendendo eandem conclusionem, & indicat
Scot. citatis locis, præsertim in 3. dist. 1. quæ. 2. dum
negat, essentiam habere aliquid esse à personis, ac
fere alij autores citati dubio præcedenti pro secunda
sententia, paucis exceptis, hoc idem sentiunt. Et fa-
uet multum D. Thom. in aliquibus locis supra cita-
tis, præsertim quæst. 2. de potent. ar. 1. vbi dicit essen-
tiam diuinam non accipere esse per supposita, & quæst. 8.
art. 3. & 7. vbi distinguit illa duo, quæ sunt de ratione
hypostasis, scilicet subsistere, & esse incommunicabi-
lem, & subdit, quod relationes, in quantum, relationes,
non habent, quod subsistere faciant. Quod repetit in quæ-
st. 9. art. 5. ad 13. & 1. p. quæst. 40. art. 2. ad 2. negat perso-
nas distinguere in esse, in quo subsistunt. & idem sumi
potest ex 1. p. quæst. 28. ar. 2. & quæst. 29. art. 4. & ex
aliis locis supra citatis. Fundari etiam solet hæc
sententia in loco saepe citato ex Aug. 7. de Trinit. ca. Aug.
4. & 5. vbi reuera non videtur agnoscere aliquid
posse subsistere, nisi per absolutam, vt sic & ideo ait,
Quidquid subsistit, ad se subsistit, & ideo 5. de Trin. c. 8.
sic ait, illud præcipue tenemus, quidquid ad se dicitur, præ-
stantissima illa, & diuina sublimitas, substantialiter dici,
quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relatiue, &
infra, quidquid ad se dicitur, non pluraliter, sed singulari-
ter dici. Rationes vero pro hac sententia possunt
plures sumi ex supra dictis, quas infra attinge-
mus.

Contrariam sententiam tenet necessario omnes, 1. Sententia
qui negant subsistentiam, vt Alex. Bonau. & c. Ex his
vero, qui ponunt subsistentiam absolutam, tenet
hoc Caiet. locis supra citatis, & eam defendit com-
muniter recentiores Thomistæ & iuxta eam loquitur
etiam Scot. quodlib. 4. art. 2. quodlib. 3. art. 5. vide-
tur omnino vera. Supposita ergo varia significatio-
ne nominis subsistentia supra posita.

Dico primo. In Deo esse tres subsistentias realiter Tres in Deo
inter se distinctas, vt subsistentia significat per mo-
dum concreti, id quod subsistit. Hæc conclusio est
de fide quoad rem ipsam, quia nihil aliud est, quam
dicere in Deo esse tres personas, quoad modum au-
tem loquendi reperitur saepe in antiquis conciliis,
Ephefino, can. 4. & in epistola Patrum concilij Con-
stantinopolitani, ad Damasum cum concilio Ro-
mano, quæ in primo tom. concil. refertur ante con-
cil. Constant. 1. ex Theodor. lib. 5. hist. c. 9. & Niceph.
lib. 12. c. 16. vbi expresse dicitur, In tribus subsistentiis,
sive in tribus personis. item ex concilio Calced. act. 16.
& Constantinopol. V. consultat. 8. can. 1. Constanti-
nopolit. 6. act. 11. & in aliis patribus, tamen (vt iam
admonui) in his locis, semper Græce habetur no-
men, τρις αὐτῶν & Latinus interpres interdum reti-
net illam vocem, interdum vero vititur nomine sub-
sistentia, vel personæ, vel vtiuisque. Ex Latinis vero
Concilij vsus est illa locutione Concil. Lateran.
sub. Mart. 1. consultat. 4. can. 1. quantis eam etiam
referat ex quinta Synodo. Infra vero consult. 5. in
propria definitione fidei, can. 5. eandem locutio-
nem imitatur, Concil. etiam Vvormacien. c. 5. In tri-
bus subsistentiis dicit vnam substantiam esse, quod refert
ex Grego. lib. 1. registri. epist. 41. vbi tamen habetur,
In tribus personis, vtraque vero lectio notatur de con-
secrat. distin. 4. c. De trina. in decreto Gregoriano. Vormali
Sic etiam accipi potest, quod in conc. Floren. in lite. Greg.
ris vniõis dicitur, Filium esse principium sub-
sistentia Spiritus sancti. Nam concilium propter
Græcos ita loquitur, & Græce dicitur scriptum. Hi-
eronymus etiam (si tamen eius est epistola) in to-
mo 9. epist. 17. quæ continet explanationem Sym-
boli ad Damasum, dicit, Tres personas, & hypostases,
id est,